MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80190-25

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

DIETRICH, RUDOLF

TITLE:

TESTIMONIA
DE HERODOTI VITA

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1899

Master Negative #

91-80190-25

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88H46
BD

Dietrich, Rudolf, 1863-
Testimonia de Herodoti vita praeter itinera. Dissertatio inauguralis quam ... scripsit Rudolphus Dietrich ... Lipsiae, typis A. Hoffmanni, 1899.
41 p. 22 cm.

Thesis, Leipzig.

20590

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-6-91 INITIALS [illegible]
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Testimonia de Herodoti

88H46 BD

Columbia University
in the City of New York
Library

Special Fund
1899
Given anonymously

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARY

Testimonia de Herodoti vita praeter itinera.

Dissertatio inauguralis

quam

ad summos in philosophia honores

ab amplissimo

philosophorum ordine Lipsiensi

rite impetrandos

scripsit

Rudolphus Dietrich

h. t. magister in instituto Stoyano Jenensi.

Lipsiae.

Typis Aug. Hoffmanni

MDCCCXCIX

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARY

May 5, 1922 E.M.
OCT 19 1899 Stechert. 20 615 M 15 Nov. 99

Doctori de Criegern

Licentiato theologiae

Archidiacono in ecclesia Thomana Lipsiensi

Viro optime de me merito

Sacrum.

278036

COLUMBIA
UNIVERSITY
LIBRARY

Nota sunt Gellii verba XV, 23 ex Pamphilae libro undecimo exscripta de aetatibus historicorum nobilium, Hellanici, Herodoti, Thucydidis. Fuerunt sane, qui Pamphilae utpote auctori antiquae ilico credendum esse censerent. Affero, quod olim quidam in **Hoeferi** nova biographia generali (1851) scripsit: „La naissance d'Hérodote est fixée d'une manière précise sur l'autorité de Pamphila.“ Nihil autem valere Pamphilae testimonium, quod merae coniecturae, nulli scientiae deberetur, perspexerunt **Petersenus** in disputatione de vita Thucydidis (Dorpat 1873) et **Bergkius** in historia litterarum Graecarum I pag. 300 (1872). Rem **Dielsius** anno 1876 in chronologicis disquisitionibus de Apollodori Chronicis mus. Rh. vol. XXI insertis fusius exposuit, ita quidem, ut eis, quae de philosophorum *ἀκμή* exposuerat, addito Pamphilae de historicis illis testimonio propter fictae ratiunculae perspicuitatem satis egregio, quasi *τηλαυγῆ στέφανον* imponeret. Normam ipsam *ἀκμῆς* his diebus pervulgatam enarrare supersedeo. Quod tamen Dielsius Apollodorum Aristoxeno hanc normam debere putabat, postea ipse sententiam mutavit meliora edoctus ab **Hirzelio,** qui in commentatione, cui inscripsit die Rundzahlen (1885), usum fuisse iam ante Aristoxenum demonstravit, ut in anno aetatis quadragesimo *ἀκμήν* ponerent. Confer **Dielsii** libellum „Ein gefälschtes Pythagorasbuch“ insertum annali „Archiv für Geschichte der Philosophie“ III pag. 466: „Die Vorstellung des Schwabenalters von 40 Jahren ist nicht aus pythagoreischen

Kreisen wurzelhaft entsprungen, sondern wie so vieles Pythagoreische aus der Volkssitte übertragen.“ Confer librum **Wachsmuthii** (Einl in das Studium der alten Geschichte pag. 133 add.) et **Schwartzium** apud Pauly-Wissowa I pag. 2858

Jam disseram, quo modo Pamphilae computatio, quam de *ἀκμή* Hellanici, Herodoti, Thucydidis instituit, orta esse videatur. Initium autem a Thucydide faciam et quia viri docti in hoc primum illum Alexandrinorum usum perspexerunt et quia Hellanicus et Herodotus ad annum Thucydidis i. e. ad annum 431 accomodati sunt. Est autem hic annus ex verbis illis deductus, quae apud Thucydidem 5, 26 legimus: *ἐπεβίων διὰ παντὸς αὐτοῦ αἰσθανόμενος τῇ ἡλικίᾳ καὶ προσέχων τὴν γνώμην ὅπως ἀκριβές τι εἴσομαι.*

Anno autem 444 Herodoti *ἀκμή* statuta est, quia ipse initio prooemii Thurium se appellaverat. Sic anni natales Thucydidis 471 et Herodoti 484 callido illo quidem, sed perspicuo artificio excogitati sunt.

De Hellanico, quid *ἀκμῆς* anno 456 statuendae ansam praebuerit, nescimus; falsam autem esse hanc Pamphilae computationem quis est qui neget? Confer **Wachsmuth** Einleitung pag. 510. Nam Hellanicus Herodoto *ἐπιβάλλει*, Thucydidis aequalis est.

Coniecturam tamen quamvis incertam liceat mihi proferre. Agedum construamus conspectum ratiunculae Gellianae:

$431 + 65 = 496 - 40 = 456$ *ἀκμή* Hellanici
$431 + 53 = 484 - 40 = 444$ *ἀκμή* Herodoti
$431 + 40 = 471 - 40 = 431$ *ἀκμή* Thucydidis

Atqui Hellanicus historiam pentecontaetiae narravit i. e. historiam annorum 480 — 430 et fieri potest, ut per hoc spatium temporis vixerit. Quidni statuimus hanc fuisse ansam *ἀκμῆς* statuendae? Est enim $431 + \frac{1}{2}50 = 456$.*)

*) **Köhler, Analecta Hellanicea (1898) pag. 305 Lpz. Stud. 18**

Apollodorus igitur, sive ipse, sive quis alius hunc Eratosthenico—Apollodoreum synchronismum exstruxit, de Hellanico in Thucydidis verbis I, 97 nixus esse mihi videtur, de Herodoto et Thucydide in ipsorum prooemiis. Sic factum est, ut Hellanicus usque ad **Wilamowitzii** tempora Herodoto *ἐπιβάλλειν* videri posset.*) Scriptor pentecontaetiae in media pentecontaetia floruisse statutum erat.

Jam de quaestione, unde Gellius XV, 23 hauserit, non assentior **Ruskio**, qui in dissertatione Hertzio missa de Gellii fontibus (1883) pag. 8 Pamphilam ipsam a Gellio inspectam esse vult. Sed non neglegendum est Favorinum, cuius in verba Gellius iurare solet, Pamphilae hypomnemota excerpsisse nec per se verisimile est Gellium hanc epitomen eius auctoris, quem in deliciis habebat, non ad manum habuisse. De qua epitome Stephani Byzantii testimonio confido s. v. *Ῥοπεῖς, ἔθνος, οὗ μέμνηται Φαβωρῖνος ἐν ἐπιτομῆς τετάρτῳ τῆς Παμφίλης,* quamquam lenis medela adhibenda est.

Codices enim dativum *ἐπιτομῇ* praebent. At emendationem meam defendit alius locus Stephani de Artemidoro 387, 13 *ἐν ἐπιτομῆς πρώτῳ*, ubi Meinekius recte codicum *Pp ΠR V* lectionem, quae est *ἐπιτομῇ*, correxit.

Simile vitium occurrit in codice V 610, 2, quo loco idem recte legit *Λέπιδος ἐν ἱστορίας ἐπιτομῆς πρώτῳ* (*ἐπιτομῇ* V), ut altero loco de eiusdem Lepidi epitome traditum est *ἐν ἱστορικῆς ἐπιτομῆς ὀγδόῳ* (578, 4), quod tamen ex priore loco mutandum puto in *ἐν ἱστορίας ἐπιτομῆς ὀγδόῳ.*

Infeliciter **Maassius** de Favorini epitome in quaestionibus selectis de biographis Graecis (Phil. Unters. III pag. 55 n. 61) disputavit. Comparat enim ex scholiis Homericis *Σέλευκός φησιν ἐν τῇ Κυπρίᾳ* atque Stephani verba interpretatur: „Favorinus ex Pamphilae epitomis adfert“; „multos enim auctores a Pamphila epitomatos

*) **Hermes 11 (1876) pag. 291.**

esse". Sed verbum *μέμνηται* s. v. *Ῥοπεῖς* (vide pag. 14 extr.) ad hunc sensum non quadrat. Deinde non verisimile est Favorinum epitomen Pamphilae adisse, non plenum opus. Exemplum denique nullum Maassius ex Stephano de illo, quem statuit, usu praepositionis *ἐν* attulit; contra Maassium affero 137, 12 *Ἀρτεμίδωρος ἐν ἐπιτομῇ τῶν ἕνδεκα* cum genitivo operis excerpti. Itaque non dubito, quin Stephani verba recte intellexerim. Si hoc recte de Favorino exposui, haud scio an Gellius hanc epitomen, quam Favorinus ex Pamphila fecit, aliis quoque locis adhibuisse putandus sit. Quid vero Favorinus hoc loco, de quo quaerimus, apud Pamphilam in libro undecimo legerit, quid ipse addiderit, tum demum iudicari poterit, cum alia huius epitomes fragmenta opud Gellium detecta eius indolem dilucidiorem reddiderint.

Quod flores Hellanici, Herodoti, Thucydidis ad unum eundemque terminum, scilicet ad Peloponnesiaca sive ad florem Thucydidis accommodati sunt, talis rationis exemplum versus Apollodorei a Muellero, Roepero, Gomperzio editi praebent nullum.

Venio nunc ad **Gutschmidii** sententiam, qui de Dielsii argumentis supra pag. 3 expositis dubitavit. Cf. Kleine Schriften IV pag. 316 n. Maluit, nisi fallor, annum 484 sic explicare, ut hic annus primum Xerxis annum significaret. Sed quid facimus annis 496 et 471? Hi anni, quia ad Persarum reges accommodari non possunt, ex eo synchronismo interpretandi sunt, quo Herodotus medius inter utrumque ita est, ut ab Hellanico duodecim, a Thucydide tredecim annis distet. De Herodoto pro Gutschmidio affere licet Diodori verba 2, 32 ubi *τὴν διαφορὰν τῶν ἱστοριογράφων παρ' ἄλληλα τίθησιν*. Antiquissimi enim scriptores, Herodotus et Ctesias, de initiis historiae Medicae dissenserant. Verba Diodori haec sunt: *Ἡρόδοτος μὲν κατὰ Ξέρξην γεγονὼς τοῖς χρόνοις φησίν — Κτησίας δὲ ὁ Κνίδιος τοῖς μὲν χρόνοις ὑπῆρξε* — Disputaverunt de hoc loco

Jacobius (Rh. mus. 30 [1875] 561; 613) et **Krumbholzius** (Rh. Mus. 41, 330 n; 52 [1897] pag. 269). Inseruit autem Diodorus has notas biographicas, ut ex aetate utriusque scriptoris de fide memoriae magnopere discrepantis iudicium fieret. Verbum *γεγονώς* non de anno natali dictum interpretor, ut viri docti hoc loco solent, sed idem valet atque in adnotatione Diodori de Ctesia *τοῖς χρόνοις ὑπῆρξεν*, scilicet propter particulas *μὲν-δέ* (*Ἡρόδοτος μὲν — Κτησίας δέ*), ideoque *γεγονώς* ad *ἀκμήν* Herodoti et ad extremos Xerxis annos, qui anno 465 mortuus est, refero. Ita **Schoellius** quoque (Phil. 9 [1854] 212) et **Rohdius** (Rh. Mus. 33 [1878] 165) de hoc participio iudicaverunt. Falso tamen Rohdius arbitratur, Diodorum tempus *ἀκμῆς* in primis Xerxis annis posuisse, ea quidem de causa, quia scriptor Persicorum illa tempora vidisse videretur. Mihi Xerxes a Diodoro nominatus videtur, quia de Ctesia Artaxerxem nominaturus erat. Sic Herodotus et Ctesias, Xerxes et Artaxerxes inter se opponuntur. Ex Eusebio autem, ut infra videbimus, discimus non de prioribus, sed de extremis Xerxis annis cogitandum esse.

Haec de Diodoro. Similis questio, utrum *γενόμενος* ad *ἀκμήν* an ad annum natalem pertineat, apud Dionysium Halicarnassensem diiudicanda est, qui in libello Tuberoni misso *περὶ τοῦ Θουκυδίδου χαρακτῆρος* capite quinto historicos Graecos recenset. Primo loco ponit scriptores, qui erant *πρὸ τοῦ Περσικοῦ πολέμου*, velut Euagonem Samium. Sic enim pro *Εὐγώων* quidam legit, confer Inscr. m. Brit. 403. Logographos autem recentiores dicit fuisse *ὀλίγῳ πρεσβυτέρους τῶν Πελοποννησιακῶν καὶ μέχρι τῆς Θουκυδίδου παρακτείναντας ἡλικίας*. Vocabulum *Περσικοῦ* correxi ex *Πελοποννησιακοῦ*, quae lectio codicum sensum non praebet. Porro Dionysius iudicium de Herodoto adnectit, qui erat *γενόμενος ὀλίγῳ πρότερον τῶν Περσικῶν, παρεκτείνας δὲ μέχρι τῶν Πελοποννησιακῶν*. Tum capite sexto pergit: *τούτοις ἐπιγενόμενος Θουκυδίδης*.

Persica quidem, ante quae Herodotus fuit *γενόμενος*, secundum certum chronographorum usum annum 480 designant. Immerito autem **Rohdius**, qui rem in medio reliquit, de verbo *γενόμενος* illud respexit, quod secundum Dionysium veteres logographi *πρὸ τοῦ Περσικοῦ πολέμου ἐγένοντο*, ubi certe de flore sermo est.

Equidem puto *παρεκτείναντας* ad finem vitae respicere ideoque *γενομένους* ad initium vitae.

Herodotus igitur a Dionysio eidem classi tribuitur atque logographi recentiores, ut etiam ex capite XXIII eiusdem libelli apparet, quo loco item *Περσικοῦ* emendandum est: *οἱ δὲ πρὸ τοῦ Περσικοῦ γενόμενοι πολέμου καὶ μέχρι τῆς Θουκυδίδου παρεκτείναντες ἡλικίας . . . . . πλὴν ἑνὸς Ἡροδότου. Οὗτος δὲ . . . .*

Neque tamen nego hanc textus mutationem incertam esse, quia duplici loco corrigendum est.

Quae cum ita sint, Dionysius, cui **Meyerus** (Geschichte de Altertums II, 10) non multum tribuit, optime concordat cum Pamphila, quam quidem posuisse Herodoti *ἀκμήν* in anno 444 supra contra **Gutschmidium**, qui Diodorum secus intellexerat, defendimus.

Quod **Wiedemannus** in commentario secundi libri Herodoti annum epochae Thuriae ad hanc interpretationem admittere noluit, facile est eius argumentum redarguere. Obstare enim opinatur, quod Herodotus non ut socius coloniae, sed ut rerum scriptor honorem et famam adeptus sit. *Ἀκμῆς* igitur computum debuisse ex litteraria opera Herodoti proficisci. Sed cur Gorgias, Melissus, Protagoras, Empedocles eidem epochae adscribuntur? Num hi viri insignes fuerunt, quia coloniae illius Thurios deductae participes erant? Immo Eusebius solet *ἀκμήν* celebrium virorum, qui idem in numero colonorum recensentur, in anno deductae coloniae ponere, praesertim in penuria certae de vita scientiae, unde fortasse factum est, ut apud Eusebium, ad quem nunc transeo, quamvis strenue

colonias deductas adnotare soleat, nihil legamus de Thuriis.

Eusebius igitur non in anno 444, sed 468 Herodoti *ἀκμήν* locavit. Ut **Alfredus Schoene** me litteris certiorem fecit, codex Oxoniensis Hieronymi hoc habet:

Herodotus historiarum scriptor agnoscitur ad Persarum Xerxis annum 17 = Olymp. 77, 4 = ann. Abrah. 1548 = 469.

Codex autem Londinensis, in quo anni ad reges Macedonum accommodati sunt, hoc habet: Herodotus historiarum scriptor agnoscitur
ad Maced. Alex. annum 32 = Olymp. 77,1 = ann. Abrah. 1545 = 472.

Armenia versio exhibet annum 468, eundem codex Fuxensis Reginensis, quem sequor, quia secundum **Wachsmuthium** (Einl. pag. 172) in annis maximam fidem habet.

Ecce conspectus:	Reginensis	468
	Oxoniensis	469
	Armenia versio	468
	„ „ z	468
	Londinensis	472

De Oxoniensis et Londinensis auctoritate infra pag. 29 dicam.

Jam quaeramus, cur Eusebius hoc potissimum anno Herodotum agnosci coepisse voluerit. Est hic annus primus annus postremae Xerxis olympiadis et fieri potest, ut chronographus ille Herodoti *ἀκμήν* extremis Xerxis temporibus tribuere voluerit. Sed ceteras Eusebiani anni interpretationes (468) a viris doctis excogitatas circumspiciamus.

Busolti sententia (Gr. Gesch. II pag. 90 n. 2) putantis Eusebium voluisse eum annum notare, quo Herodotus sui iuris factus esset, ab usu chronographorum aliena est. Idem in hoc falsus est, quod litteram t armeniae versionis in editione Schoeniana non ad annum Abrah.

1549 rettulit. Postea **Busoltus** in nova editione ipse sententiam mutavit idemque statuit quod **Hauvettius**, qui in libro de Herodoto pag. 13 rem ita administravit, ut ex memoria Suidae s. v. *Πανύασσις* profectus, ubi Panyassis anno 468 *γεγονέναι* narratur, in eodem anno mortem Panyassidis et exilium Herodoti poneret. „Cet événement, dont le souvenir s'était conservé, ne serait-ce pas la révolte qui avait amené la mort de l'un et l'exil de l'autre?" Quod improbo, quia omne inter Panyassidem et Herodotum vinculum rescindendum esse arbitror, quamvis **Krausius** et **Koranda**, qui nuperrime (1891) de Panyasside scripserunt, hanc affinitatem tenaciter retinuerint. Sed de his postea.

Eadem de causa Rohdii sententiam (Rh. Mus. 33, 208) reicio, qui propter Panyassidem Herodoti *ἀκμὴν* promotam esse putavit. Equidem malo annum, de quo quaerimus, ex synchronismo Herodoti et Sophoclis interpretari, praesentim cum Oxoniensis et Londinensis non olympiadem 78, sed 77 tradant, in qua Sophocles bis adnotatus est. Neque ideo Eusebii anno 468 multum tribuo, quem tamen video olim **Schoellium** atque nuper **Steinium**, quem Hauvettius pag. 13 n. 1 laudat, impulisse, ut Herodoti annum natalem propius ad initium saeculi quinti admoverent.

In contrariam partem discrepat vetus scholion bonae fidei, quod Herodotum versus finem huius saeculi floruisse statuit. Dico vitam Savilianam Claudii Ptolemaei, quam ediderunt **Rohdius** (Rh. Mus. 33, 169 n. 4) atque pleniorem **Aretinus**. Confer **Bollium** (Jhb. Suppl. 21 (1895) pag. 53).

Ibi Herodotus aequalis Oenopidis, Gorgiae, Zenonis Eleatae appellatur, quae quidem coniunctio, si tempora vitarum respicis, cum eis, quae aliunde de his viris accepimus, optime congruit. Confer de Oenopide **Bergerum** (Gesch. der wissenschaftlichen Erdkunde bei den Griechen

I. pag. 111) et **Schmidtii** chronologiam Graecam pag. 424, de Gorgia **Zellerum** I³ 949, de Zenone eundem I³ 535. Ecce quadriga Periclea aetate digna! Sed operae pretium est verba ipsa vitae Savilianae adscribere: *πρῶτος παρ' Ἕλλησιν ὁ χῖος οἰνοπίδης τὰς ἀστρολογικὰς μεθόδους ἐξήνεγκεν εἰς γραφήν · ἐγνωρίζετο δὲ κατὰ τὰ τέλη τοῦ πελοποννησιακοῦ πολέμου. καθ' ὃν καιρὸν καὶ γοργίας ὁ ῥήτωρ ἦν καὶ ζήνων ὁ ἐλεάτης καὶ ἡρώδοτος* (sic!) *ὡς ἔνιοί φασιν ὁ ἱστορικὸς ὁ ἁλικαρνασσεύς.*

De plurali numero *τὰ τέλη* cf. Tzetzes hist. V 309 *τὰ τέλη τοῦ πολέμου.* Oenopides multo prior erat quam fine belli Peloponnesiaci. Nam circa annum 460 systema suum astrologicum publici iuris fecisse videtur. Ad hunc quidem annum verba *καθ' ὃν καιρόν* . . . optime quadrant, non ad eum terminum, quem exhibet enuntiatum *ἐγνωρίζετο δὲ* . . . . Nam ex eis, quae Zellerus exposuit, apparet Zenonem et Gorgiam minime posse ad finem saeculi quinti admoveri, quod ne de Herodoto quidem licet. Itaque verba *ἐγνωρίζετο δὲ κατὰ τὰ τέλη τοῦ πελοποννησιακοῦ πολέμου* ex alio fonte fluxisse puto.

Quod si recte statui, nihil impedit, quominus cetera vitae verba ex optima Alexandrinorum doctrina fluxisse credamus, atque si nihil aliud ex hac vita, hoc certe ex verbis *ὡς ἔνιοί φασιν* lucramur, iam illorum aetate aliòs aliter de Herodoti temporibus statuisse.

His de vita Ptolemani Saviliana expositis transitum facio ad unicam Herodoti vitam antiquam, quae tamen non codicibus Herodoti, uti assolet, praefixa est, sed apud Suidam exstat.

In universum haec de vita Suidae praemoneo. Ipso initio levitatem Suidae in Hesychio excerpendo deprehendimus. Neque enim cuius sit generis Herodotus, *ἱστορικὸς* nimirum, diserte addit, id quod perraro praetermittere solet, velut in vita Thucydidis factum est. Participii, quod est *ἐσχηκώς* unum simile exemplum toto Hesychii

Onomatologo perlustrato inveni: *Δαφίδας, Τελμισεύς, γραμματικός, γεγραφώς περὶ Ὁμήρου.* Tum divisio novem librorum operis Herodotei commemoratur, quam constat posteris temporibus factam esse. Postea forma *Θούριον* pro *Θούριοι* secundum testimonia a **Pappritzio** congesta in dissertatione Lipsiensi de Thuriis 1890 pag. 35 recentior est. De nummis vide **Busoltum** III, 1 pag 532. Totum denique enuntiatum *ἐν οὖν τῇ Σάμῳ* . . Suidae ipsi, scriptori non satis accurato aut diligenti, **Gutschmidius** apud Flachium deberi putavit. Cf. Hesych. Mil. ed. **Flach.** pag. 86 (1882) Quanquam non ad eam iudicii acerbitatem progredior, ut cum **Bauero** faciam, qui in commentatione de Herodoti vita conscripta (1889) nihil omnino Suidae credendum esse affirmat. Qui tamen postea, ne hoc taceam, in recensione **Hauvetti** (Wochenschrift für klass. Phil. XI (1894) pag. 1221) ipse illa revocavit.

Age iam singula perscrutemur. Patrem Herodoti natione Carem fuisse ex nomine Lyxae intelligitur, quod idem in titulo Halicarnassio (240, 27 **Bechtel**) legitur. Ibidem versu 31 casu etiam Theodori, fratris Herodoti, nomen exstat. Exaratus autem hic titulus est post annum 433 vel certe post 425, quod **Keilius** ex nummorum ratione (Hermes 29 (1894) pag. 259 n) conclusit.

Praeter Suidam Lyxae nomen etiam Lucianus testatur in libello *περὶ τοῦ οἴκου,* quem oecum falso domum appellare solemus. Videmus ibi Lucianum tum adulescentem scribentem ex scholae rhetoricae vinculis, ut Mommseni verbis utar (Mon. Anc. pag. 176). Herodotus enim Jonica dialecto disserens ita inducitur, ut haec libelli pars aliquid frigidi habeat. Confer **Bluemneri** studia archaeologica de Luciano (1867 pag. 54). Neque vero hoc debuit quosdam eo perducere, ut hoc opusculum a Luciano abiudicarent; immo Lucianus rhetorum ampullas ad id tempus non abiecit. Discimus autem ex hoc loco Luciani temporibus Lyxae nomen in scholis rhetorum notum fuisse discipulis.

Idem de Themistio statuere licet, cuius verba huc pertinent in oratione secunda in Constantinum haec: *περὶ θεῶν εὔστομα κείσθω, κατὰ τὸν Λύξον.* (Themistius 32, 20 D.) Tritum igitur tum erat Lyxae nomen et auditoribus Themistii et ipsi Themistio, qui *τοὺς ῥητορικοὺς λόγους ἀνεδρέψατο ἐν τῇ ἐσχατιᾷ τοῦ Πόντου πλησίον Φάσιδος,* ut ipse testatur in oratione XXVII *περὶ τοῦ μηδὲν τοῖς τόποις, ἀλλὰ τοῖς ἀνδράσιν προσέχειν.* Cf. **Christ** Griech. Litteraturgeschichte pag. 671.

Sunt alia quoque testimonia de patre Lyxae, matris autem nomen Dryo aut Rhoio (s. v. *Πανύασσις*) unus Suidas habet. Nomen Dryus neque in Benseleri lexico (1863) neque in indicibus corporum inscriptionum aut ephemeridum occurrit. **Bechtel-Fick** die griech. Personennamen (1894) pag. 104 affert: *Δρύας* Kalymna, Samos; *Δρύων.* Idem pag. 248 *Ῥοιώ* nomen mythicum appellat. Solent merito Dryo praeferre, quia haec forma inusitata facilius in vulgare nomen corrumpi poterat, quam vice versa. Porro Dryo insigniore loco tradita est initio vitae, quam Rhoio s. v. *Πανύασις*; illud autem nomen cum Lyxae nomine optime confirmato coniunctum est. Ac ne illud quidem in hac quaestione, utra nominis forma praeferenda sit, neglegendum est, quod optimus Suidae codex Parisinus nondum ea qua par est fide collatus est; neque enim unquam in **Gaisfordii** curis acquiescere licet. Fortasse alterutra de his formis falsae lectioni debetur.

Praeter nomina parentum hoc quoque constat parentes Herodoti nobilitate generis insignes fuisse. Testis est Herodotus ipse loco illo celeberrimo (2, 143), ubi Hecataeum nominatim perstringit, quod ille coram Aegyptiis sacerdotibus stirpem suam maioribus enumeratis ex deis duxerit. Apparet enim ex hoc loco recte intellecto Herodoto quoque licuisse maiores suos enumerare. Herodotus fuit, ut Suidae verbis utar, *τῶν ἐπιφανῶν.*

Aberravit de his **Wiedemannus** in commentario

(1890), recte autem rem administraverunt **Meyerus** (Forschungen (1892) pag. 193) et **Krausius** (de Panyaside 1891 pag. 52), qui tamen, quia Lyxes et Pigres in titulo illo Halicarnassensi nominantur, adhibitaque Artemisiae laude in libro septimo Herodoti citius quam cautius conclusit, Herodotum e stirpe Lygdamidis ortum esse. „Si scriptor ille, inquit Krausius, paupertate oppressus praemioque decem talentorum ab Atheniensibus donatus ex Artemisiae stirpe genus duxit, melius verba eius praeclara illa intelliguntur (1, 5): *τὰ γὰρ τὸ πάλαι μεγάλα ἦν, τὰ πολλὰ αὐτῶν σμικρὰ γέγονε, τὰ δὲ ἐπ' ἐμεῦ ἦν μεγάλα, πρότερον ἦν σμικρά.*"

O perversam interpretationem, di immortales! Vult enim Herodotus verbis exscriptis nihil aliud nisi varietatem historiae Lydorum, Assyriorum, Aegyptiorum, Scytharum, Libycorum ex varietate rerum humanarum et lusu fortunae summis ima miscentis interpretari et excusare. Itaque ne parvarum quidem urbium historiam curare non vult, quia interdum ea, quae nunc contemptui sunt, olim honesta et timenda erant.

Unde Suidas vel potius Hesychius doctrinam illam de parentibus hauserit, nescimus. **Sittlius** autem (Griech. Litteraturgesch. (1886) II, 370, 2) cur Scylacis chronica fontem fuisse statuerit, in promptu est. Ante Herodotum enim Sittlius l. l. Scylace exposuerat, quo factum est, ut ei Scylacis in mentem veniret. Sed unum hoc videmus, ea, quae Suidas de parentibus Herodoti tradit, bonae fidei notam prae se ferre et ex optimo fonte fluxisse. Omninoque in hoc uno Alexandrini plura scivisse de Herodoti vita videntur quam nos.

Proximum est, ut Herodoti *ἐθνικόν* a Suida traditum, quod est *Ἁλικαρνασσεύς*, interpreter.

Age ceteros testes de Halicarnasso patria audiamus.

Ac primum quidem basis illa marmorea ex ruderibus Pergamenae bibliothecae anno 1881 Guilelmi imperatoris

florentissimi auspiciis eruta laudanda est, in qua haec verba leguntur

ΗΡΟΔΟΤΟ
ΑΛΙΚΑΡ-ΑΣΣ

Non dubito in hoc Herodoto hunc de quo quaerimus historicum agnoscere. Aetati autem regum Pergamenorum **Conzius** apud **Fraenkelium** (Inschriften von Pergamon 1890 pag. 118) propter formam litterarum hunc titulum attribuit.*)

Deinde in vita illa Saviliana Herodotus *Ἁλικαρνασσεύς* appellatur.

Tertio loco titulus Rhodius citandus est, quem post Selivanovium edidit **Hillerus** de **Gaertringen** in Inscr. Gr. J. M. Aeg. 1895 I nr. 45. Quo tempore titulus exaratus esse videretur, editor non adnotavit et ne nomina quidem Panyassidis et Herodoti in indicem nominum recepit. En habes titulum.

[Τοιόνδ' ἄνδρ'] οὐκ[εῖ]χε Νί<νι>νου πόλις, οὐδὲ[π]αρ' Ἰνδοῖς
[τοῖός πω Μουσ]έων [π]τ[ό]ρθος ἐνετρέφετο·
[ἄιδων ϑ' Ἡ]ροδό[τ]ου γλύκιον σ[ύ] μάκαρ Πανύασσιν
[νικᾶις · τῶ]ν [δὲ]ἀρ[ετὴ]ν ἔτρεφεν ὠγυγίη
[χθών. Ἁλικ]α[ρνα]σσοῦ κραναὸν πέδον ὧν διὰ μολπὰ[ς]
[κλεινὸν ἐν] Ἑ[λλήν]ων ἄστεσι κῦδο[ς ἔ]χει.

Nomen mortui praecesserat. Supplementa tituli misere mutilati Dielesii Kirchhoffii Kaibelii unitis studiis debentur. Sed quomodo dici potest Halicarnassum *κραναὸν πέδον* habuisse? Nonne hoc epitheton semper Athenis attribuitur? Fortasse legendum est

[χθὼν καὶ Π]α[ρνα]σσοῦ κραναὸν πέδον.

van Gelder nihil potuit de hoc titulo enucleare v. Mnem. 24 (1896) pag. 78 (Inscr. Rhodiae). *Ὠγυγίη χθών* tunc esset

*) Dion. Hal. de imit. ed **Usener** pag. 136. **Susemihl**, Alexandr. Litteraturgesch. I (1891) pag. 447. Fortasse Hdt. 1, 1 *Ἁλικαρνασσέως* est lectio librorum Pergamenorum, *Θουρίου* Alexandrinorum.

Aegyptus, ut apud Stephanum Byzantium. Cf. lexicon Stephani s. v. *ὠγύγιος*. Alias etiam Boeotia *ὠγυγίη* appellatur. Quidquid legimus, vulgare tituli supplementum incertum est.

Titulus recentior est. Velut tria illa exempla vocis *μάκαρ*, quae apud **Kaibelium** in epigrammatis ex lapidibus collectis (1878) leguntur, recentioris aetatis sunt. **Rohdius** autem (Psyche II² (1898) pag. 347 n. 2) adnotat epitheton *μακαρίτης* esse Atticum, duoque exemplorum Kaibelianorum Atticae originis sunt, tertium est Romanum.

Post Alexandrum autem titulum exaratum esse ex Indorum memoria (*οὐδὲ παρ' Ἰνδοῖς*) cognoscimus

Porro totus orationis color, abstracta significatio *ἀρετὴν ἔτρεφεν ὠγυγίη* (*χθών*), longitudo carminis ab aetate imperatorum abhorrere non videntur. Fortasse poeta ille Rhodius sive Rhodi mortuus—nisi forte historicus fuit, id quod editor neglexit—aequalis Hadriani erat, cuius tempestate imitatio Herodoti efflorescebat, quam Arrianus et paulo post Pausanias, Dio Cassius, Aelianus prae se ferunt, ut Grundmannus (1884), Wernickius (1884), Rasmus (1858) illustraverunt.

Titulus Rhodius igitur non testimonium de patria Halicarnasso exhibere mihi videtur, sed Herodotum iam cum Panyasside vinculo illo nexum videmus. Pronomen *τῶν δὲ* vs. 4 ad omnes tres personas refero, ad mortuum, Herodotum, Panyassim et arbitror hos viros et in Aegypto et Athenis versatos esse.

Sequens autem testimonium de patria Halicarnasso in omnium ore est, dico prooemium Herodoti, de cuius authentia quoniam fuerunt, qui dubitarent, quaestio non detrectanda est. Nota est Ptolemai Chenni narratio de prooemio Herodoti a Plesirrhoo confecta, qua memoria quidam abusi indagasse sibi videntur vestigium diasceuastae librorum Herodoteorum. Improbanda sane **Birtii** sententia est (Antikes Buchwesen (1882) pag. 477, 2), qui fa-

bulam de Plesirrhoo cum Thessalo editore scriptorum Hippocrateorum comparavit. **Larochii** autem argumenta, quae contra authentiam ex figuris et structura verborum petiverat (1859), a **Nitzschio** in programmate feliciter redarguta sunt (1860).*)

Miratus autem sum, quod neque qui addubitavit neque qui defendit prooemium, Plutarchum adhibuit, qui de malignitate Herodoti cap. 26 consilium prooemii male definivit. Increpat ibi Herodotum, quod Lacedaemonios saepe initio mensis ad pugnam profectos esse ignoraverit *καὶ ταῦτα τὰ τῆς Ἑλλάδος ἐπαγγελλόμενος γράφειν* (lac 17—18 B 18 E), *ἐσπουδακὼς δὲ περὶ τὰς Ἀθήνας . . .* Turnebi supplementum lacunae *τὰ τῶν βαρβάρων ἐπαίρεις τῷ λόγῳ* absonum a sententia est et spatium excedit. **Bernardakis** in editione Plutarchi (1893) V pag. 228 nihil supplevit. Hoc fortasse stare potest: *καὶ ταῦτα τὰ τῆς Ἑλλάδος ἐπαγγελλόμενος γράφειν παντάπασιν ἀγνοεῖς.* Etiam *ἔργα μεγάλα ἀγνοεῖς* sunt 17 litterae, sed nimium intervallum inter *τὰ* et *ἔργα* est.**) Plutarchus igitur prooemium Herodoti legerat, quod demonstrat illud *ἐπαγγελλόμενος γράφειν*. Ac ne **Dionysio** quidem prooemium ignotum erat, qui ad Pomp. 3 pag. 50 Usener (1889) hoc scripsit: *κοινὴν Ἑλληνικῶν τε καὶ βαρβαρικῶν πράξεων ἐξενήνοχεν ἱστορίαν*, de Thuc. 5 *προελόμενος πολλὰς καὶ διαφόρους πράξεις ἔκ τε τῆς Εὐρώπης ἔκ τε τῆς Ἀσίας ἐς μίαν περιγραφὴν πραγματείας ἀγαγεῖν.* Dionysii *πράξεις* sunt Herodoti *ἔργα*, quod **Steinius** et **Dielesius** (Hermes 22 (1887) pag. 440 n neglexerunt, cum verterent „Bauwerke".

Iam iuvat quaerere, quid Ptolemaeum Chennum impulisse videatur, ut mendacium illud de Plesirrhoo proferret. Equidem eis assentior, quae nuper apud Grevium

*) Miščenko der Beginn (*προοίμιον*) von Herodots Geschichtsw. Filolog. obozrnie (1897) 12, 1 pag. 3—15 inspicere mihi non licuit.

**) Vel potius legamus: *καὶ τῆς Ἀσίας ἀγνοεῖς.*

legi, qui in dissertatione Lipsiensi de Adonide (1877) pag. 17 **Hercherum** secutus nihil Ptolemaeo credendum esse affirmat, quod non aliorum quoque auctoritate fulciatur.*)

Prooemium Herodoti omnibus tum notum erat. Quaerenti igitur, a quibus verbis Herodoti historia inciperet, statim respondebatur: *Ἡροδότου Ἁλικαρνασσέως ἱστορίης ἀπόδεξις ἥδε.* Ptolemaeus autem ceteris doctior videri voluit cumque post primum enuntiatum inde a verbis *Περσέων οἱ λόγιοι* recte sensisset esse *τὴν κατὰ φύσιν τῶν ἱστοριῶν ἀρχήν*, ut ipse dicit, affectans doctrinae reconditae gloriolam. fabulam illam de prooemio postea facto excogitavit.

Perperam **Larochius** hanc fabulam de Plesirrhoo docere opinabatur, vel antiquitus quosdam de authentia prooemii dubitavisse. Immo hoc unum verum est potuisse Herodotum statim sic incipere: *Περσέων οἱ λόγιοι.* Eo facilius autem fabula credi poterat, quod primum et secundum enuntiatum operis Herodotei nullo sententiae vinculo coniuncta sunt.

Quod **Maassius** nuper in Arateis (1892) aliquid veri apud Ptolemaeum Chennum detexit (pag. 368, 12), alius generis illa verba sunt.

Itaque etiam post Larochium tuto credere licebit prooemium ab ipso Herodoto scriptum esse, quippe quod Thucydides**), Aristoteles, Demetrius, Dionysius, Plutarchus ante oculos habuerint, sed tacuit Herodotus in prooemio de Halicarnasso atque Thurium se appellavit. De singulis vide infra.

Utrum patriae renuntiaverit nec ne nescimus. Nam immerito **Bernhardius** (1853) vel potius **Hemsterhusius** (1706) glossam Suidae *ἀπείπατο · ἀπηρνήσατο · ὁ δὲ τὴν πατρίδα ἀπείπατο καὶ Θούριος ἀνερρήθη* ad Herodotum pertinere voluit. Quod quia verbum *ἀνερρήθη* vetat, talem

*) **Peter**, Geschichtl. Litter. der röm. Kaiserzeit I (1897) pag. 162.

) **Haupt, Hermes II pag. 312.

potius renuntiationem in glossa spectari opinor, qualem refert Pausanias 7, 2: *ἀνηγορεύοντο Δωριεὺς καὶ ὁ Πεισίροδος Θούριοι.*

Concidit igitur, si cum Meyero facimus, testimonium ipsius Herodoti de patria et in voce *Ἁλικαρνασσέως* in prooemio interpolatio docta Alexandrinorum statuenda est. Neque tamen haec est eadem textus recensio, ut Meyero placuit (Forschungen pag. 26 n) quam in lectione recentiore Hdt. 1, 57 *Κρήστωνα* pro *Κρότωνα* deprehendimus*). Nam illam Theon, qui Ciceronis fere aequalis erat, in exemplari Alexandrino Herodoti legit, Dionysius autem Augusti temporibus Romae veram lectionem *Κρότωνα* ante oculos habuit. Confer **Hildebrandtii** dissertationem Lipsiensem (1883) de itineribus Herodoti Europaeis et Africanis pag. 48.

Rursus in prooemio Herodoteo idem Dionysius *Ἁλικαρνασσέως* legebat, usus scilicet exemplari Herodoti ista coniectura infecto. Haec inter se pugnant: *Κρότωνα* et *Ἁλικαρνασσέως.* Nisi forte quis putat Dionysium non ex exemplari suo Herodoti lectionem *Ἁλικαρνασσέως* novisse et quia ipse Halicarnassius erat, sua sponte hanc recentiorem lectionem, quam fortasse compererat, maluisse scribere, cum prooemium citaret.

Certius tunc licebit indicare, si quis Meyeri *κήρυγμα* (Forschungen pag. 26 n) secutus Herodoto data opera perlustrato plura huius recensionis exempla collegerit.

Cognitis igitur testimoniis de Herodoto Halicarnassio, nunc de Herodoto Thurio dicam. Principio Avienus insigni illo loco, ubi ex plurimorum commentariis Sallustio multa se adiunxisse pronuntiat, (Avienus 4, 49 ed. Holder 1887), undecim auctores ordine chronologico, semper ethnico cognomine cum cura addito, enumerat ab Hecataeo Milesio usque ad Herodotum Thurium et Atticum Thucydidem.

*) Aliter E. **Schwartz**, Quaestiones Herodoteae 1890.

Cf. **Berger**, Geschichte der wissenschaftlichen Erdkunde (1889) II, 65.

Quod Hellanicus, quem constat Herodoto recentiorem fuisse, secundo loco affertur, ordinem chronologicum non rumpit, sed pervulgato veterum errore excusatur. Quod Herodotum Thurium appellat, censeo Avienum vel potius Avieni auctorem*) re vera credidisse Herodotum Thuriis ortum esse.

Hoc inde concludo, quod Euctemonem non Amphipolitanum, sed popularem urbis Atticae dicit imprimisque quia semper diserte de vera patria loquitur, ut versu

45 prisca quem genuit Samos
46 nobili natus Sige
47 Rhodo ortus.

Minus accurate igitur Bergerus pag. 67 cognomen Thurii de patria adoptiva dictum esse contendit.

Pronomen ipse vs. 49 verto: ja selbst Herodot, nisi „inde“ legendum est, quod **Heinsius** (1658) vs. 44 ex „ille“ correxit.

Avienus igitur verum illud *Θουρίου* falso intellexit.

Müllenhoffius autem (Deutsche Altertumskunde (1870) I pag. 73) inter multa vestigia elegantioris doctrinae in Avieni carmine conspicua Thurii quoque cognomen recensere potuit.

Ac ne Strabonis quidem aut Plutarchi testimonio auctoritas lectionis *Θουρίου* imminuitur, quorum uterque lectionem *Ἁλικαρνασσέως* antiquiorem esse existimat.

Plutarchus autem (de exilio 13) caput decimum tertium libelli de exilio ex Bionis diatribus deprompsit, si recte iudicavit **Giesecke** De philosophorum veterum quae ad exilium spectant sententiis (1891) pag. 95.

*) **Marx**, Rh. Mus. 50 (1895) pag. 346; v. **Winterfeld**, De Avieni metaphrasi Arateorum recensenda Berlin 1895. Pauly-Wissowa II (1896) pag 2389 Marx.

Fortasse igitur iam Bionis temporibus ea quae nunc extat codicum lectio veram loco depellere coepit.

Eadem ratione explico Strabonis illud (XIV pag. 65) „*ὃν ὕστερον Θούριον ἐκάλεσαν*“. Accedit, quod Strabo in catalogis virorum clarorum per totum librum singulis urbibus adnexis praeter Eleam et Rudias Italicas urbes neglexit omninoque in usum incolarum Asiae minoris scripsit. Confer **Stemplinger** Strabos litterarhistorische Notizen (1894) pag. 62; 82.

Iam quoniam intelleximus Herodotum ab aliis recte Halicarnassium appellatum esse, ipsum autem Thurium se vocasse, progrediamur ad testimonium Duridis Samii, qui Herodotum suae patriae Samo vindicavisse videtur. In censum veniunt verba Suidae in vita Panyassidis haec: *Δοῦρις δὲ Διοκλέους τε παῖδα ἀνέγραψε καὶ Σάμιον, ὁμοίως δὲ καὶ Ἡρόδοτον Θούριον.*

Est autem haec memoria eo dignior quam excutiamus, quod vita Panyassidis ex egregio fonte originem duxit. Praeclara sunt verba *ὃς βεσθεῖσαν τὴν ποιητικὴν ἐπανήγαγε*, quae **Bernhardius** in historia litterarum Graecarum vertit: „er gab dem ermatteten Epos einen neuen Aufschwung“.

Nec minus litterarum ordo alphabeticus in titulis Panyassidis librorum non neglectus, versuum numerus formula *εἰς ἔπη* denotatus, Jonicorum metrum additum et argumentum paucis delineatnm bonam indolem prae se ferunt. **Wachsmuth**. Symb. phil. Bonn. (1864) pag. 149n; **Daub** Jhb. Suppl. XI (1880) pag. 415.

Eidem insigni auctori, cuius manum in verbis *ὃς σβεσθεῖσαν* . . et in memoria de libris Panyassidis tradita agnoscimus, Duridis testimonium attribuo.

Veniamus ad singula. **Meyer** Forschungen pag. 196 Panyassidem et Herodotum a Duride propter patriam adoptivam Samium et Thurium nuncupatos esse putat.

Sed Duris non is est, qui veram et adoptivam patriam docte discernat. Immo doctrinae incuriosus Panyassidem in maiorem Sami gloriam Samium in Samiorum annalibus *ἀνέγραψεν*. Idem verbum *ἀναγράφειν* in alio Duridis fragmento legitur, quod est in Porphyrii vita Pythagorae (fr. 56 M.): *ἐν δευτέρῳ τῶν Ὥρων παῖδά τ' αὐτοῦ ἀναγράφει Ἀρίμνηστον καὶ . . .* Itaque **Krausii** sententia (supra pag. 10) de Herodoto Samio, quam **Bauerus** in recensione (supra pag. 12) amplexus est, mihi quoque arrisit.

Fortasse licet statuere Duridem hoc posuisse, praesertim quem Herodoti historias in deliciis habuisse ex fragmentis appareat. Confer

fr. 48 de insula beatorum

fr. 49_a de Gorgyia

fr. 50 de bello Aeginetico Eur. σχ. Hec. 934 ed. Schwartz (1887).

fr. 52 de Thaletis parentibus.

Quod Cicero ad Att. 6, 1, 18 Duridem appellat hominem in historia diligentem nihil valet. Quid enim mirum, quod apud oratorem illum hominis Peripatetici Pseudohistoria in maiore honore erat, quam apud Eratosthenem atque adeo apud Plutarchum, qui quamquam non severus est in eligendis historiarum auctoribus, tamen de Duride sic iudicat: Plut. Per. 28 *οὐδ' ὅπου μηδὲν αὐτῷ πρόςεστιν ἴδιον πάθος, εἰωθὼς κρατεῖν τὴν διήγησιν ἐπὶ τῆς ἀληθείας*

Quale *ἴδιον πάθος* eum ad hoc *πλάσμα* de Herodoto instigaverit, in promptu est: voluit Samum videri praeconem illum amoenitatis suae procreavisse atque gloriam seminarii virorum bonorum apud posteros invenire. Aliud *πλάσμα* Duridis de Lysippo autodidacto detexit **Urlichs** minor in libello de Graecis scriptoribus artis (1887) pag. 27.

Falso autem **Krausius** ex Duridis testimonio conclusit, temporibus illius bonam Suidae de Halicarnasso

patria notitiam ignotam fuisse et aetate demum regum Pergamenorum ab Apollonio Aphrodisiensi in Caricis excogitatam esse. At enim paucissima de hoc opusculo scimus; plenum erat secundum Pauly-Wissowa mythorum epichoriorum et etymologiarum.

Causam autem huius coniecturae Krausius habuisse non videtur, nisi quod statua Apollonii in bibliotheca Pergamena erat, si modo **Fraenkelius** l. l. recte titulum Apollonii Philotae filii ad Aphrodisiensem rettulit.

Equidem aliud ex Duridis verbis efficio, scilicet ei affinitatem Panyassidis et Herodoti notam fuisse.*)

An rectius **Bauerus** iudicavit in actis univ. Vind. 1889 pag. 401 ex iisdem verbis contrarium statuens? Cum Duris hos duos viros coniunctos habeat, hac ipsa coniunctione meam opinionem confirmari sentio, quidquid de Herodoto Samio cogitas.

Quae cum ita sint, quid est facilius quam in Duride affinitatis illius, quae fuisse narratur inter Herodotum et Panyassim, inventorem agnoscere? Ethnicum autem cognomen *Θοίριον* non Duridi ipsi attribuo, sed fonti illi egregio Hesychii, cuius vetustas et auctoritas ex hoc quoque cognomine splendet.

Simul autem cum affinitate illa mythus ille apud unum Suidam de rebus a Herodoto pro re publica gestis narratus concidit.

Ne titulus quidem ille Halicarnassensis *Τάδε ὁ σύλλογος* (**Bechtel** die Inschriften des ionischen Dialekts (1887) pag. 140), in quo pro **Kirchhoffiana** falsa lectione *ἡ κάθοδος*, quae basis multiplicis erroris erat, **Bergkius** (Rh. Mus. 1864, 604) *τὸ ἄδος* legit. Cf. **Rühl** Philol. 41 (1882) pag. 59, **Stein** Bursian 30 (1884) pag. 211, **Reinach** Lygdamis Revue des ét. gr. I (1888) pag. 27, Re-

*) De **Schoelii** hariolationibus vide **Bauer** Ztschr. f. ö. Gymn. 28 (1877) pag. 823

cueil des inscr. juridiques grecques. Paris (1891) pag. 1 Hos adde **Busolto** Gr. Gesch. I² (1893) pag 363, 1. **Costanzi***) omnia confudit. Bursian 71 (1892) pag. 167.

Quatenus ceteris rebus Duridis opera in Herodoti vita effingenda circumscribenda esset, satis assequi non potui Attamen, siqua alia, fabula illa de Samo Peripatetici philosophi *λύχνου ὄζει*, qua narratur Herodotus Sami Jonicam dialectum didicisse, qua quidem ab ipsa pueritia cum matre in patria Halicarnasso usus erat.

Venio nunc ad Herodotum Athenis commorantem, ubi in eleganti fautorum amicorumque circulo cum Pericle, Phidia, Hippodamo, Lampone, Metone, Anaxagora, Sophocle artissimo vinculo coniunctus partem vitae degit. Cf. **Wachsmuth** Einleitung pag. 512, **Croiset** hist litt. Gr. II, 567: „Il connut la plupart des grands esprits, dont la réunion faisait alors d'Athènes le centre brillant de l'hellénisme".

Spirat Herodotus amicitiam et favorem pro re publica Atheniensium totumque opus Atticum domicilium testatur.

Notissima est Herodoti amicitia cum Sophocle, de qua quid sentiam, liceat mihi aperire, sed paucis.

Testis est Plutarchus (an seni 3) V (1893) pag. 26 ed. **Bernardakis**. Cf. **Bergk** P. Lyr. G. II⁴ (1882) pag. 245 **Bergk-Hiller** Anthol. lyr. (1890) pag 124 *Ὠιδὴν Ἡροδότῳ τεῦξεν Σοφοκλῆς ἐτέων ὢν πέντ' ἐπὶ πεντήκοντα . . .*

Quam odam **Ribbeckius** in schola spuriam esse putavit, quia neque cum Sophoclis temporibus consociari posset, neque aetas quinquaginta quinque annorum senectus esset.

Tum fidem huius elegiae minuit, quod exstat elegia *Ἥλιος ἦν* ab Hieronymo Rhodio excogitata et falso Sophocli adscripta. Confer **Wilamowitz** Herc. fur. in priore editione (1889) I pag. 10 n. Hac elegia nixus **Sittl** Gr. Litteraturgesch II (1886) pag. 370, 2 (Wiedemann pag. 32, Hauvette pag. 36) sine iusta causa puerum amatorium in Herodoto agnoscere volebat. Ac ne **Zurborgius** quidem, qui separatim de Sophocle et elegia in Hermae volumine decimo (1876) scripsit, verum vidisse mihi videtur statuens poeticam epistulam ad Herodotum Thuriis degentem a Sophocle scriptam, nimirum propter epistulare epigrammatii initium.

*) Ricerche su alcune punti controversi intorno alla vita e all' opere storica di Erodoto 1891.

Sed verum in aperto. Cur tandem necesse est de Herodoto historico cogitare? Satis frequens nonne erat hoc nomen multique Herodoti ex lapidibus post **Baehrii** catalogum (Herodot ed. Baehr IV (1861) pag. 401) innotuerunt, velut in inscriptionibus Graeciae septentrionalis I ed. **Dittenberger** (1892) et ex Cois titulis ed. **Hicks** (1891)? Equidem puto Sophoclem hanc odam viro nobis ignoto, cui nomen erat Herodoto, misisse.

Sed hanc interpretationem non premo, quia versus ipsi peius traditi sunt, quam ut certi quidquam proferre liceret.

Neque tamen ideo amicitia Sophoclis cum Herodoto plane neganda est, immo magnam habet veritatis specimen, licet nullo testimonio comprobetur.

Nam ne versus quidem illi Antigonae*) huc pertinent, quia sine dubio interpolatori debentur, quamvis confidenter **Pischelius** Hermes 28 (1893) pag. 465 authentiam non tam defendat quam edicat quasi ex cathedra.

Nam et versus virginis castitatem dedecent et Antigonae condicio fratrem mortuum lugentis a muliere Intaphernis fratrem vivum exposcente longe distat, quod Goethius, celeberrimus ille poeta, recte sensit.

Busolt II² (1895) pag. 611 Philol. Anz. 1878 pag. 26.

*) 909—912.

Hauvette pag. 39.

Cauer Grundfragen der Homerkritik (1895) pag. 254.

Epigrammatium igitur, quod ὁμολογουμένως Plutarchus Sophocli attribuit, ad alium Herodotum pertinet, versus in Antigona spurii sunt.

Sequitur, ut de Anyti psephismate a Plutarcho de malign. Hdt. 26 (V pag. 229 B.) tradito dicendum sit. Nomen Anyti a Turnebo recte ex lectione codicum ἀντὶ τοῦ (τὸ ψήφισμα γράψαντος) restitutum est, in quo tamen num, ut **Meyerus** pag. 200 vult, Socratis ille accusator agnoscendus esset, recte **Wachsmuthius** Einleitung pag. 512 et **Iudeichius** apud Pauly-Wissowa s. v. Ἄνυτος dubitaverunt. Confer **Sitzler** Bursian 83 (1895) pag. 99.

Tres sententiae eorum, qui de hoc psephismate disputaverunt, a limine reiciendae sunt, quia positae sunt in Anyto, Socratis adversario, primum **Meyeri** statuentis circa initium belli Peloponnesiaci Herodotum illud donum accepisse. At bello instante homines pecuniae parcere solent, itaque ante bellum pecuniam datam esse malo.

Deinde **Cobetus** Mnem. VII (1858) pag. 268 erravit, qui totam Plutarchi de Anyto narratiunculam ex pervulgatis de Socratis morte fabulis fictam esse voluit. Tum **Zeitzius** ratus in programmate de lectionibus Herodoteis (1882) et alibi et hoc loco Herodotum atque Socratem in memoria litterarum confusos esse.

Quamquam igitur nescimus, quid huic Anyto faciamus, tamen de fide psephismatis dubitare non licet — quis autem psephisma tulerit non ita multum valet — non tam

*) Aliter **Weil** Revue des études grecques VII (1894) pag. 261. **Kaibel** ind. Gött. 1897. **Bruhn** Jahrb. 1898 pag. 248. **Patin** Etudes sur les tragiques Grecs; Sophocle. (1895) pag. 275. **Gomperz** Melanges, H. Weil. an Eckermann 28/3 1827 (cf. **Naber** Mnem. 21 (1893) pag. 224): „Es kommt in der Antigone eine Stelle vor, die mir immer als ein Flecken erscheint, und warum ich vieles geben möchte, wenn ein tüchtiger Philologe uns bewiese, sie wäre eingeschoben und unecht".

propter Diyllum, quem Plutarchus auctorem non spernendum appellat — quamquam non videmus, quomodo hic Ephori continuator in mentionem praemii huius incidere potuerit — quam quia Diyllus ad psephisma provocat, quod illis temporibus fortasse ex Crateri sylloga vel ex metroo scire poterat. Porro difficultas inest in pecuniae magnitudine, quae nostratis nummi secundum **Curtium***) marcas 47100 efficit, neque satis apparet, cur Herodotus decem talenta acceperit. Ad mutationem textus confugit **Hauvettius** pag. 38 ratus pro δ' scribam legisse Δ, quattuor pro decem. Qui autem quattuor talenta dat, is potest etiam decem talenta dare.

Age vero causas praemii varias a viris doctis excogitas circumspiciamus. **Anhaltius** quidem in quaestione Herodotea (1884) pag. 15 dicit sibi persuasum esse, Athenienses voluisse Herodotum in ipsorum urbe retinere, eo consilio, ut Athenae artis historicae inventrices haberentur**). Ac ne hoc quidem verum esse potest, quod **Bachofius** in quaestiuncula Herodotea (1880) pag. 19 dixit, ideo Athenienses Herodoto ingentem illam pecuniam decrevisse, ut ei facultates itinerum conficiendorum operisque absolvendi praeberent, curiosos scilicet famae apud posteros isto praeconio adipiscendae. At **Zurborgius** Rundschau I (1881) pag. 246 bene monuit eiusmodi publicum subsidium ab ingenio et moribus illius tempestatis abhorrere. Idem dicendum est contra **Meyerum** cogitantem sumptus magnos itinerum Herodoto hac pecunia restitutos esse. Deinde quod laudato in hanc rem sollemni usu titulorum Herodotum in decreto Anyti εὐνοίας ἕνεκα honoratum esse existimat, haud scio an hic usus potius saeculi quarti quam quinti sit. Tum Meyerus Herodotum publicis quibusdam officiis animos Atheniensium sibi conciliavisse suspicatur, similemque viam ingressus **Holmius** Gr. Gesch II (1889)

*) Griech. Gesch. II[5] (1979) pag. 278.

) **Sitzler Rundschau V (1885) pag. 809.

pag. 332 decem illa talenta, quae Pericles *εἰς τὸ δέον* erogabat, ita ad comparationem vocavit, ut Anytum Periclis nomine hanc legem tulisse putaret. At enim illi similia exempla ex illo tempore affere non potuerunt. Num autem Holmius iure dixerit debuisse Herodotum corona honorari, non auro, equidem perlustratis dissertationibus **Schuberti** de proxenia Attica (1881) et **Dittmari** de coronis (1891) (Lpz. Stud. XIII) dubitare ausim.

Rursus **Majchrowiczius** in programmate de Plutarchi illo libello (1881) putat nihil impedire, quominus hanc narrationem falsam esse statuamus. Velle autem eam nihil aliud nisi Atheniensium laudes in libris Herodoteis explicare. Sed psephismatis auctoritatem iusto minoris fecit.

De variis virorum doctorum conaminibus satis multa: quid vero Plutarchus ipse de hoc Herodoti honore iudicavit? Rectene eius verba **Rankius** Weltgeschichte I, 2 (1881) pag. 40 n. intellexit vocabulum „*διαβολή*“ calumniam interpretans, ita quidem, ut Plutarcho ipsi calumniatores esse viderentur, qui crederent Herodotum pecuniam ab Atheniensibus adulando sibi petivisse? Sed confer Plut. Them. 4, 3 *διαβολὴν καθ'ἑαυτοῦ παρέσχεν* . . . et paulo post *εἰ μὲν δὴ τὴν ἀκρίβειαν καὶ τὸ καθαρὸν τοῦ πολιτεύματος ἔβλαψεν ἢ μὴ ταῦτα πράξας ἔστω φιλοσοφώτερον ἐπισκοπεῖν.*

Plutarchus igitur neutri parti neque calumniatorum Herodoti neque defensorum se adiunxit, cum inscitiam rerum Atticarum narrat non congruere cum crimine adulationis et venalis ingenii neque tamen a se impetrare potest, quin Diyllum non spernendum auctorem fuisse adnotet. Vox autem *διαβολή* non calumniam, sed crimen invidiosum significat.

Itaque facere non possum, quin Wachsmuthii coniecturam (Einleitung pag. 512) amplexus donum illud aliquo modo cum colonia Thurios deducta cohaerere statuam.

Est autem haec memoria tam singularis, ut neque **Larfeldius** apud Muellerum (Handbuch I² (1891) pag. 582) neque indices annalium aut corporum inscriptionum simile exemplum talis praemii proferant.

Eodem iure **Wachsmuthius** propter ingentem pecuniae summam negavit hoc donum posse conecti cum conficiendis aut confectis Herodoti libris (quamquam quaedam capita Herodotea, ut VII, 139, publica laude digna videntur); quapropter in errore fuerunt, qui Plutarchi testimonium cum Eusebio coniungerent.

Immerito etiam **Herbstius** Philol. 49 (1890) pag. 150 ex verbis Plutarcheis „*εἰ γὰς ἀνέγνω*“ evincere studuit Plutarchum testem esse doni pro lectionibus dati.

Eusebius igitur, quem modo laudavi, ad annum 444 hoc adnotavit: *Ἡρόδοτος ἱστορικὸς ἐτιμήθη παρὰ τῆς Ἀθηναίων βουλῆς ἐπαναγνοὺς αὐτοῖς τὰς βίβλους.* Hunc annum praebet Hieronymi codex Fuxensis Reginensis (pag. 136 Sch). In Oxoniensi hoc legimus ad Pers. Artax. ann. 20 = Olymp. 83, 4 = ann. Abrah. 1572, in Londinensi ad Maced. Perd. ann. 27 = Olymp. 86, 3 = ann. Abrah. 1583 = 434.

Itaque conspectus varietatis temporum apud Eusebium de Herodoti *ἀκμή* et lectionibus traditorum hic est:

Reginensis	468	444
Oxoniensis	469	445
Armen. vers.	468	447
„ „ z	468	446
Londinensis	472	434
	ἀκμή	lectiones

Codex O igitur prope accedit ad optimam Hieronymi recensionem adhuc notam, quam exhibet codex R, videtur autem huius annos anno praecurrere. Sed hoc Schoenii nova editio docebit.

Codex L. in annis recensendis singularem memoriam habet, sed quae non tanti esse videatur, nisi forte quis a

partibus Zeitzii stat (supra pag. 26), cuius sententiam confirmare videtur, quod annus codicis L. 434 congruit cum vulgata Hieronymi de flore Socratis recensione. At M. R. habent annum 433 vide pag. 136 Sch.

Quod autem Londinensis Ahtenis pro Athenis tradit, indicium mendosae scripturae codicis est, de qua iam **Mommsenus** (Hermes 24) (1889) verba fecerat.

Quaerenti autem mihi, unde hoc loco Eusebius hauserit, auxilio veniunt excerpta quae dicuntur latina Barbari ed. **Frick** (1892) pag. 266, ubi Herodotus in numero unius et viginti philosophorum enumeratur, qui sub Artaxerxe rege cognoscebantur, quem catalogum ex Africano fluxisse Barbarus diserte addit. **Gelzerus** igitur in libro de Africano I (1880) pag. 177 propter seriem continuam annorum a Barbaro servatam, quam demonstrat ex Hieronymi temporibus cum Barbaro comparatis, recte annum lectionum Herodoti, non annum floris apud Barbarum intellexit. Haec autem scala statuenda est:

Sophocles	1546	77,2	471	Xerx. 15 Hdti. ἀκμή
Heraclitus	1557	80,1	460	Artax. 5
Anaxagoras	1557	80,1	460	Artax. 5
Herodotus	1572	83,4	445	Artax. 20 Hdti. lectiones.

Propter seriem igitur in ceteris philosophis conspicuam non licet priorem annum Eusebianum de Herodoto apud Barbarum intellegere. Videmus Barbarum non operam dedisse, ut ἀκμήν singulorum diligenter observaret, cum catalogum suum excerperet, sed textu neglecto satis habuit nomina notare, id quod ex serie illa observata etiam de Pericle et Protagora apparet. Quocirca verba Barbari „hi omnes cognoscebantur“ non premenda sunt.

Quodsi Africani de lectionibus Herodoteis testimonium examinamus, confiteri debemus hanc memoriam plane singularem esse; neque enim usquam in canone Eusebiano, cum data opera perlegerem, vocabulum ἐτιμήθη vidi, omninoque de honoribus nihil memini me legere.

Sed haec verba, quae de Protagora ad sequentem annum eiusdem olympiadis adnotata sunt: τούτου Ἀθηναῖοι τὰς βίβλους ἐψηφίσαντο καῦσαι, nonne cum hac de Herodoto memoria comparari possunt? Uterque enim propter libros decreto publico aut honoratus aut condemnatus est, atque id una eademque olympiade factum esse traditur, cum in cetero canone neque de decretis publicis neque de libris sermo sit. Itaque utrumque testimonium coniunctim ponderandum est, praesertim cum utrumque ex Africano fluxerit. Nullius autem pretii est, quod Eusebius vel potius Africanus de Protagorae libris anno 443 combustis narrat. Confer Wachsmuthii notam ad Timonem sillographum (1885) pag. 165. Neque fieri potest. ut hic annus verus sit. Immo constat litem illam ἀσεβείας, quam contra Protagoram intenderant, post Periclis mortem fuisse; in anno autem 443 Africanus decretum illud publicum nulla alia de causa posuit, nisi quod Protagoras Thurius erat.*) Accuratius tempus huius litis definire studuit **Schanzius** in symbolis ad philosophiam antesocraticam.

Item annum lectionum Herodotearum coniecturae deberi **Ruehlius** Philol. 41 (1881) pag. 71 vidit. Nimirum anno epochae Thuriae lectiones adscriptae sunt, quia Herodotus Thurius erat. Falso tamen Ruehlius, quandoquidem Reginensen Hieronymi codicem anno 1875 a Schoenio in addendis editum anno 1881 non inspexerat, annum deteriorum codicum 445 retinuit ideoque hunc annum positum esse putavit, quod Africanus voluisset has lectiones habitas esse videri Athenis, antequam Herodotus anno 444 Thurios migraret.

Id ipsum autem, quod Herodotum lectiones habuisse ferant, **Steinius** apud Bursianum 30 (1882) pag. 212 probabile esse negat. Hanc memoriam ait discrepare atque abhorrere ab ea imagine, quam de Herodoti ingenio et

*) **Gomperz** Griech. Denker I (1896) pag. 470.

moribus finxerimus atque hanc fabellam facile se valere iussurum, si modo rite fieri possit.

Quidni singula lectionum testimonia excutimus? De lectione Olympiaca plane assentior **Dahlmanno** (1824) et **Schoellio** (1855) nec satis mirari possum, quod **Holmius** 2 (1889) pag. 326 his temporibus testimonio Lucianeae prolaliae fidem habuit.

Amoena quoque illa narratio de Thucydide puero Herodoti lectione inflammato quamvis dolente **Herbstio** (Philol. 49 (1890) pag. 150) Peripateticorum studium viros claros conectendi apertius ostendit, quam cui confidamus. En habes fundamentum, quod **Kruegerus** (1832) dignum iudicavit, in quo chronologiam aetatis Thucydidis construeret!

Corinthiacam autem Herodoti lectionem Dio Chrysostomus personatus non satis defendit in dialexi, quam Emperius Maassio et Eggerio adsentientibus coniecit esse Favorini.

Schmidt Atticismus I (1887) pag. 82 n.

Emperius (1832) opusc. pag. 33.

Maass quaest. de biogr. gr. Philolog. Unters. III epim (1880).

Egger Journal des savants 1884 pag. 250.

Sed plurimum valet contra illorum testium fidem et auctoritatem silentium titulorum aequalium. Cf. **Reischium** apud Pauly-Wissowa s. v. Agones I pag. 838, 59.

Postea edidit **Couvius** (bull. de corr. hell. 1894 pag. 77) Delphicum titulum de Troizenio quodam rerum scriptore, qui circa annum 150 ante Christum natum *ἀκροάσεις τῶν πεπραγμένων* habuit*).

Hic igitur usus posteriorum temporum, de quo **Rohdius** disputavit (Der griechische Roman (1876) pag. 305), non rara auctorum consuetudine in Herodoti tempora

*) Notitiam huius tituli debeo Gardthauseno.

translatus esse videtur, quamquam dies festus aut locus lectionibus talibus idoneus Athenis tunc non exstabat.

Vides, quo iure **Kirchhoffius***) hanc chronographi memoriam integerrimum vitae Herodoti testimonium esse statuerit, aut **Bergkius** Gr. Litt. Gesch. IV (1887) pag. 245 Herodotum historiarum libros in instauratione Odei**) Pericle auctore praesentibus honestissimis viris legisse coniecerit.

Antiquissimus testis de lectionibus est **Plutarchus**, qui de malign. Hdti. verbis *εἰ γὰρ ἀνέγνω* . . . ita loquitur, ut ei memoria de lectionibus ignota fuisse non possit.

Quam partem librorum Herodotus legerit, supervacaneum est quaerere, quoniam lectionum ipsarum nulla fides est.

Venio nunc ad domicilium Herodoti Thuriis collocatum, ubi secundum Plinium opus suum conscripsit. Quod testimonium, quia his diebus **Dittrichius** et **Fleckeisenus** Jhb. 147 (1893) pag. 559 secus interpretati sunt, operae pretium est accuratius perpendere.

Recte Dittrichius molestum pronomen „eam“ in enuntiato

„tunc enim auctor ille historiam eam condidit Thuris in Italia“

quod iam **Clinton** in fastis Hellenicis ad ann. 444 tacite omiserat, coniectura sustulit scribens „auctor ille historiarum“, quod palimpsesto Monii confirmatur.

Displicet autem mihi, quod Dittrichius Thuris in Thurios mutavit idque Fleckeisenum impulit, ut Herodotum Lamponi ceterisque Thuriorum conditoribus adsereret. Nominat autem **Pappritzius** in dissertatione de Thuriis conscripta (1890) capite secundo, in quo de ducibus huius coloniae exponit, hosce duces:

*) Über die Abfassungszeit des hdt. Geschichtswerkes 1868; Nachträgl. Bem. 1872.

) **Wachsmuth Stadt Athen I (1874) pag. 554.

Lamponem
Xenocritum
Dionysius (qui χαλκοῦς appellatur)
Cleandridam (?) Laconem
Plexippum Atheniensem

Sed ante omnia investigandum est, num in vulgari lectione Thuris = Thuriis acquiescere possimus. Quid? obiectum nonne ad verbum condendi requirimus? An hoc verbum absolute positum in Pliniana latinitate tolerari potest? Defectu instrumentorum criticorum ipse exempla quaerere coactus Plinii naturalem historiam data opera perlegi totam vel potius percurri.

Messis haec est: **25,5** antea condiderat solus apud nos Pompeius Lenaeus.

13,88 quod eo magis miror si etiam num Homero condente Aegyptus non erat. Hoc exemplum ut postea vidi, etiam Forcellini habet.

Itaque locum, de quo quaerimus, verto: „Denn damals schrieb jener Geschichtsschreiber in Thurii in Italien". Particula autem causativa optime ad praecedens enuntiatum quadrat „tanta ebori auctoritas erat urbis nostrae CCCX anno". Verba Herodoti 3,97 haec sunt ἀγινέουσι τὸ μέχρι ἐμεῦ. Scilicet μέχρι ἐμεῦ Aethiopes Persis etiam num ebur pendebant; μέχρι ἐμεῦ autem ad annum epochae Thuriae referebatur. Itaque sic sententia procedit: anno 444 ebur carum erat; nam tum Herodotus scripsit Aethiopas etiamnum hoc tributum ferre solere. Vides particulam causativam recte stare, quam tamen Dittrichius explicare non potest. Neque enim propterea ebur **anno 444** carum erat, quia hoc anno Herodotus Thurios condidit, sed quia hoc anno historiarum libros condidit et usque ad id tempus Aethiopes ebur cum hebeno et auro pensitare solebant, ideo Plinius annum 444 addidit. Plinii temporibus ebur non tam rarum erat, quam olim, cum Herodotus scripsit (condidit), quo tem-

pore tanta ebori auctoritas erat, ut hebenum et aurum aequaret.

Similiter auctor ille, quo Plinius in statuenda Theophrasti aetate usus est, cum ex verbis ὃ τελευταῖον ἤδη ἐπὶ Νικοδώρου ἄρχοντος γέγονε (de caus. pl. 1, 9) hunc librum anno 314 = Ol. 116, 3 confectum esse conclusisset, Theophrasti operam litterariam circa hunc annum vel in hoc ipso anno posuit.

Ut autem Plinius ex eo tempore, quo Herodotus scripsit, de auctoritate eboris, quae tunc erat pars tributi Aethiopici, conclusit, ita ratione simili progrediens spartum post annum a. Chr. n. 314 = Ol. 116, 3 in usum venisse putat, quia Theophrastus tunc scripsit neque sparti mentionem fecit (n. h 19, 32).

Verbis quoque sequentibus

quo magis mirum est, quod eidem credimus, qui Padum . . . n. h. 12, 18

admonemur, ne Thuris in Thurios mutemus. Miratur enim Plinius, quod ei qui Thuriis in Italia opus suum conscripsit, nemo Padi fluminis αὐτόπτης cognitus fuit. Hoc non posse verum esse. Sermo est de opera litteraria Herodoti, non de publico quodam munere. Haeret Plinius in eo, quod Herodotus per non exiguum tempus Thuriis vixit neque talem αὐτόπτην cognovit. Quae scientia propter id ipsum, quod **condidit** Thurios, non potuit efflagitari ab Herodoto, potuit propter id, quod **condidit** Thuriis.

De auctore, quem Plinius hoc loco secutus esse videretur, neque cum **Sprengelio***) neque cum **Muenzero****) facio, quorum ille de Juba, hic rectius de Nepote cogitaverat. Sed per quem Plinius memoriam illam ex Aethiopiae forma Neroni***) principi nuper allata comperit?

*) Rh. Mus. 46 (1891) pag. 67.
**) Beiträge zur Quellenkritik der Naturgeschichte des Plinius (1897) pag. 340.
***) **Schiller**, Nero (1872) pag. 632.

Hoc apud neutrum potuit legere. Puto igitur Plinium de suo quaedam Jubae addidisse, scilicet haec:

tanta ebori auctoritas erat urbis nostrae CCCX anno. tunc enim auctor ille historiarum condidit Thuriis in Italia. Quo magis mirum est, quod eidem credimus, qui Padum amnem vidisset, neminem ad id tempus Asiae Graeciaeque aut sibi cognitum. Aethiopiae forma, ut diximus, nuper allata Neroni principi raram arborem Meroen usque a Syene fine imperi per DCCCCLXXXXVI p. nullamque nisi palmarum generis esse docuit. Ideo fortassis in tributi auctoritate tertia res fuerit hebenus.

Ex numero auctorum latinorum, quos Plinius de libro XII primo libro affert, unus Mucianus Neronis tempora vidit. Itaque si quem Plinius l. l. exscripsit, hic erat, nisi fallor, Mucianus.

Concidit igitur illa exceptio, quam Muenzerus pag. 17 statuerat, putans hoc uno loco Plinium historiarum libros evolvisse. Nam ne hoc quidem loco Herodotum inspexit.

Accedit ad hunc Romanum testem ex aetate imperatoria Graecus auctor isque omnium florentissimus. Aristoteles Rhet. III, 9 pag. 1409 hoc habet: *ἡ εἰρομένη λέξις ἡ ἀρχαία ἐστίν· Ἡροδότου Θουρίου*) ἥδ' ἱστορίης ἀπόδειξις. Ταύτῃ γὰρ πρότερον μὲν ἅπαντες, νῦν δὲ οὐ πολλοὶ χρῶνται.*

Haud absonum videtur hoc primarium Aristotelis de Herodoto Thurio testimonium accuratius examinare, praesertim cum Schoellius in versione artis rhetoricae de fide huius testimonii dubitaverit et Koranda (1891) eum secutus sit.

Ac primum quidem fieri potuit, ut hic locus in disceptationem vocaretur, quia verba *Ἡροδότου Θουρίου ἱστορίης ἀπόδεξις ἥδε* interposita videntur *παρενθετικῶς*. Sequentibus verbis *ταύτῃ γὰρ* . . Aristoteles ad antecedentia transgredi videtur, tanquam verba Herodotea non adsint.

*) cod. A. *θυρίου* cf. Arist. Rh. ed. Cope-Sandys III (1877) pag. 92.

Deinde haec verba neque *λέξιν εἰρομένην* prae se ferre neque omnino exemplum esse, sed potius raro quidem scriptorum usu universam Herodoti orationem indicare videntur.

Tum insignis varietas, quae est in lectione *Θουρίου*, suspicionem movere potest.

Personatus denique Demetrius II. *ἑρμ.* pag. 264 Sp. eadem verba citans non *Θουρίου*, sed *Ἁλικαρνασσῆος* habet, quae tamen verba testari ille vult *περίοδον μονόκωλον*, non *λέξιν εἰρομένην*, ut Aristoteli placuit. Quamquam pag. 263 Demetrius *τὰ πλεῖστα τῶν Ἡροδότου* inter exempla orationis solutae recenset.

Rursus pro fide verborum haec afferenda sunt.

Principio inepta tautologia omisso hoc enuntiato existeret: *εἰρομένην* esse *λέξιν* antiquam, nam olim in usu fuisse.

Haec autem vocis *ἀρχαία* explicatio ab Aristotelis brevitate abhorret. Pronomen *ταύτῃ* hanc, quae modo est exemplo firmata, orationem significat. Sed plenum exemplum verba Herodoti efficiunt, non adumbrationem quandam orationis Herodoteae, dummodo cum **Kaibelio***) hanc vim in pronomine *ἥδε* inesse intellegas, ut omnem continuationem interrumpat et asyndeton exposcat.**)

Postremo, ut essent haec verba interpolata, quomodo interpolatori lectio *Θουρίου* in mentem venire poterat?

Quod ad Demetrii discrepantiam attinet, hoc loco non Aristotelem secutus est, sed ex alio fonte hausit.

Itaque Aristotelis testimonium recto talo stare existimo.

Reliquum est, ut de morte Herodoti disseram. Exstat epigramma sepulcrale in ea epitome, quam Hermolaus ex Stephano Byzantio fecit, quod tamen notam posterioris originis prae se fert. **Pregerus** quidem (Inscr. gr. metr.

*) Stil und Text der Politeia (1894) pag. 66.

) Hoc neglexit **Kallenberg Ztschr. f. Gy. (1880) pag. 110.

(1891) pag. 34) hos versus inter Alexandri Magni fere aetatem et Zenonem Myndium factos esse putat. Fluxerunt fortasse ex vita aliqua Herodoti ab homine Peripatetico conscripta, sicuti in Sophoclis vita tales versus legimus.*) Sed quamquam hic titulus sepulcralis non is est, quo possit demonstrari Herodotum Thuriis mortuum esse, tamen hoc aliis de causis credo.

Neque enim ullo testimonio aut indicio adducimur, ut Herodotum Thurios reliquisse putemus. Certe Mnesiclea propylaea non viderat, cum celeberrima illa verba de quadriga aënea ex praeda Chalcidica dedicata scriberet: *τὸ δὲ ἀριστερῆς χερὸς ἕστηκε πρῶτον ἐςιόντι ἐς τὰ προπύλαια τὰ ἐν τῇ ἀκροπόλι.* (Hdt. V 77). Sie nim propylaea vidisset, non dixisset monumentum illud Chalcidicum eximiae magnitudinis in aedificio illo stetisse. Quoniam autem hoc dicit, propylaea paulo ante initium belli ad finem perducta non vidit neque tunc Athenis erat. Non posse autem verba Herodoti aliter intelligi nisi ita, ut quadriga intra domum includatur, recte olim **Wachsmuthius** sensit. Bursian 17 (1879) pag. 92 posteaque vidimus fragmentum tituli, qui in basi antiquioris illius quadrigae, de qua **Kirchhoffius** in actis univ. Berol. 1889 disputavit**), exaratus erat, eo ipso loco inventum esse, ubi **Wachsmuthius** quadrigam collocare voluerat.

C. J. A. IV, 2, 234a.***)

Deinceps **Roesius** in commentatione de emblemate Thucydidis (Jhb. 115 (1877) pag. 261) quosdam locos detexit, quibus monemur, ut Herodotum eos scripsisse credamus Thuriis.

Itaque, quando quidem nihil obstare videtur, puto Herodotum et „condidisse“ et mortuum esse Thuriis.*) Quando decesserit nescimus. Videmus autem in historiarum libris nullius rei mentionem fieri, quae post annum 430 evenerit; nam tumultum illum Medicum (Hdt. 1, 130) non sub Dareo Notho anno 408 fuisse, sed sub priore Dareo ex titulo Behistano didicimus**).

*) **Bormann** Arch. epigr. Mitt. aus Östr. (1894) pag. 236.

**) Bursian 71 (1892) pag. 160.

***) Pausanias ed. Hitzig-Blümner (1896) pag. 303. **Busolt** Gr. Gesch. II² (1895) pag. 443.

Quod tamen **Wilamowitius** (Herm. 12 (1877) pag. 359 Athenis Herodotum pestilentia abreptum esse autumat, ex tenebris falsissimae illius **Kirchhoffianae** opinionis scripsit, de qua nunc plane desperandum est. Omnia enim argumenta, quibus nixus ille aedificium splendidum olim exstruxit, nunc redarguta sunt; nam et de titulo Halicarnassio et de Eusebii anno lectionum, et de Antigonae versibus illis et de propylaeis Mnesicleis falso ille iudicaverat.

Jam ad finem perveni. Non frustra post alios testimonia de Herodoti vita examinavisse mihi videor.

*) De Pella cf. **Nestle** Das Grab des Euripides, Philol. 57 (1898) pag. 147. Ex ruderibus Thuriorum vix potest nova lux exspectari Cf. **Jung** Geogr. von Italien² 1897 pag. 18 (Müller III, 3, 1).

) **Weissbach und **Bang**, Die altpersischen Keilinschriften (1893) § 24.

Vita.

Volcmarus Rudolphus Dietrich Stollbergae in Saxonia nono die mensis Augusti anno 1863 patre Francisco Volcmaro anno 1873 mortuo, matre Ida Amalia e gente Franke natus sum. Puer novem annorum Stollbergam, ubi pater apothecam possidebat, reliqui et Dresdam me contuli. Postquam quinquennium instituti Dresdensis, quod appellatur „Freimaurerinstitut", discipulus fui, scholam Sanctae Crucis 1877—1881 frequentavi. Deinde per annum in prima classe gymnasii regii Lipsiensis fui. Anno 1882 testimonium maturitatis ex Ricardi Richteri manibus adeptus militis officium confestim praestiti. Philologica studia, quibus anno 1882 operam dare coepi, usque ad annum 1895 multum vexatus perrexi. Audivi viros doctissimos de Bahder, Brugmann, Buresch (†), Cichorius, Curtius (†), Drobisch (†), Eckstein (†), Gardthausen, Gregory, Hanssen, Hauck, Heinze, Hildebrand (†), Holzapfel, Immisch, Kögel, Lange (†), Lipsius, Masius (†), Maurenbrecher (†), Meyer, Overbeck (†), Ratzel, Ribbeck (†), Richter, Schneider, Schreiber, Voigt (†), Volkelt, Wachsmuth, Wenck, Wundt, Zarncke (†). Sodalis fui proseminarii philologi per duo semestria, seminarii philologi sodalis extraordinarius octo, paedagogici octo, germanici sex, historici undecim. Societatibus interfui Bureschianae, Hanssianae, Holzapfelianae, Immischianae,

Schneiderianae, Schreiberianae unum vel duo semestria, Cichorianae, Gardthausenianae, Ribbeckianae octo, Lipsianae tredecim semestria. Famulus fui Wenckii et Holzapfelii. Quibus viris cum omnibus tum Curtio Wachsmuth gratias semper habebo quam maximas.

Probandus fui in gymnasio Nicolaitano Lipsiensi, vicarius per quattuor menses im gymnasio reali Zwickauiensi, tum per sex hebdomadas magister in schola privata Ilsenburgae, tum per semestre magister in vulgari schola Helmstedtensi, nunc in instituto Stoyano Jenensi habito puerosque doceo.

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
1010692690

BRITTLE DO NOT
PHOTOCOPY